



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

CIII. Epistola Attici episcopi Constantinopolitani ad memoratum Concilium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

ANNO
CHRISTI
424.

thentica Synodo apud Nicænam ciuitatem metropolim Bithyniæ a sanctis patribus constituta atque formata, sub nostræ fidei professione vestræ dilectioni porrigamus. Vnde, domini venerabiles fratres, salute præeunte, necesse habui, per harum latorem filium nostrum Innocentium presbyterum, fidelissima exemplaria ex authentica Synodo in Nicæa Bithyniæ habita, vestræ caritati dirigere, quæ & in ecclesiastica historia requirentes inuenietis. De Pascha vero, vt scripsistis, nuntiamus vobis, xvii. Kalendas Maias nos futura indictione celebrare. Et alia manu: Deus & Dominus noster sanctam vestram congregationem custodiat, quod optamus, carissimi fratres.

Ecclesiasti-
cæ hist.
lib. 10. cap.
6.

CIII.
EPISTOLA
ATTICI EPISCOPI
CONSTANTINOPOLITANI AD EOSDEM.

Dominis sanctis, merito beatissimis fratribus coepiscopis, Aurelio, Valentino, vel ceteris carissimis, in Synodo apud Carthaginem habita constitutis, Atticus episcopus.

PER filium nostrum Marcellum subdiaconum vestrum scripta vestræ dilectionis cum omni gratiarum actione suscepi, Domino gratias agens, quod merui tantorum fratrum benedictione perfrui, Domini beatissimi fratres. Scribitis sane vt verissimos Canones, apud Nicæam ciuitatem metropolim Bithyniæ a patribus constitutos, sub fidei adstipulatione dirigam. Et quis est, qui communem fidem, vel statuta a patribus firmata, suis fratribus denegat? Qua de re, per eundem filium meum Marcellum subdiaconum vestrum, nimium festinantem, sicut statuti sunt in Nicæa ciuitate a patribus Canones in integro (vt iussistis) direxi; petens, vt pro me plurimum vestra sancta congregatio orare iubeat. Et alia manu: Deus noster sanctitatem vestram custodiat, quod optamus, sancti fratres.

Cod. Can.
cap. 116.